illos discumbere & transiens ministrabit illis. & si uenerit
in secunda uigilia & si in tertia uigilia uenerit & ita in
uenerit beati sunt serui illi. Hoc autem scitote quoniam si
sciret pater familias qua hora fur ueniret uigilaret
utique & non sineret perfodere domum suam. Et uos
estote parati quia qua hora non putatis filius hominis
ueniet. Ait autem ei petrus. Domine ad nos dicis hanc
parabolam an et ad omnes. Dixit autem dn̄s. Quis
putas est fidelis dispensator & prudens quem constituit
dominus super familiam suam ut det illis in tempore tritici
mensuram. Beatus ille seruus quem cum uenerit dominus
suus inueniet ita facientem. Uere dico uobis quia supra
omnia quae possidet constituet illum.
Quod si dixerit seruus ille in corde suo moram facit dominus
meus uenire & coeperit percutere pueros & ancillas
& edere & bibere & inebriari ueniet dominus serui illius
in die qua non sperat & hora qua nescit & diuidet eum
partemque eius cum infidelibus ponet.
Ille autem seruus qui cognouit uoluntatem domini sui &
non praeparauit & non fecit secundum uoluntatem eius
uapulabit multis. Qui autem non cognouit & fecit
digna plagis uapulabit paucis. Omni autem cui multum
datum est multum quaeretur ab eo. & cui commendauerunt
multum plus petent ab eo. Ignem ueni mittere in
terram & quid uolo nisi accendatur. Baptisma autem
habeo baptizari & quomodo coartor usque dum per
ficiatur. Putatis quia pacem ueni dare in terram.
Non dico uobis sed separationem. Erunt enim ex hoc
quinque in domo una diuisi tres in duo & duo in tres
diuidentur. Pater in filium & filius in patrem suum.